



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

IX. An Deus cognoscat infinitum in actu?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

necessaria voluntati solummodo ex suppositione, & consequenter sunt: unde subdit, *consequens necessarium esse, sicut antecedens*, scilicet consequenter respectu voluntatis creatæ, ita enim rationem subiungit: *quia, quod est, necesse est esse.*



QVÆSTIO IX.

An Deus cognoscat infinitum in actu?



QVÆSTIONEM, quæ, vel tota, ad Philosophiam, vel ad questionem de nomine deuoluenda tandem erit, aliorum exemplo potius, quam ex animo edisseram, supponit ex Philosophia, non dari in rebus infinitum categorematicum, siue in actu, id est rerum simul actu pro aliqua duratione existentium: si enim daretur, haud dubio, à Deo cognoscere, locumque questionis præfieri non esset: supponit rursus dari in rebus infinitum syncategorematicum, siue in potentia: id est infinitarum rerum, siue successuarum, siue permanentium nunquam tamen simul coadiungendarum. Pater in Angelicæ durationis (ni tota simul & indiuisibilis sit) partibus: vel circa controuersiam in partibus durationis animi rationalis vique & vique sine termino successuris, & vtriusque cognitionibus, & affectibus per totam æternitatem succelline habendis, nunquamque simul coniungendis; vtriusque suppositi veritatem Philosophi tenent. Nos vero ex eorum hypothese id solum in præfenti disputamus. An cum infinitas Angelicæ, vel animalicæ durationis à parte post æternæ successuras partes, actusque per illas ab ipsis exercendos Deus cognoscit, ut vere cognoscit, infinitum in actu cognoscat.

CERTAMEN I.

Ex doctorum placitis eligitur.

DOCTORES nonnulli censent earum rerum infinitam multitudinem, solum in potentia, & syncategorematicè infinitum cum omnibus reputant: quia vero, ut diuine substantie scientiæ, & cognitioni, simul tota illa cognoscitur, & representatur, Deum cognoscere infinitum in actu descendunt. Cæterum Doctores isti, & æquiuocatione maxima laborant, & errant, & questionis præfieri non respondent. Primum patet, siquidem aliud est actu cognosci infinitum, *simultaneè*, & illud *actu* appellante supra cognitionem, quæ actu, & simul ex parte sui cuncta illa cognoscat, aliud vero appellante supra obiectum: primo enim modo sensus est actu cognosci à Deo infinitum; quod est infinitum in actu non sit verum est: nam actu cognoscitur. Secundo modo est sensus, cognoscitur infinitum, quod infinitum in actu sit etiam ut præcedit diuinam cognitionem, in quo scopus totus, & difficultatis, & questionis præfieri positus est; non autem, an infinitum in actu, & simul sit extrinsecus, per extrinsecam denominationem ab actualitate, & simultate diuinæ cognitionis, quæ actu, simulque de tota multitudine habetur.

2. S. Thom. 1. p. q. 14. a. 12. & 1. cont. gent. ubi Ferrata S. Bonavent. in 1. d. 39. a. 1. q. 3. solut. argumentor. Richard. ibidem VValdensis tom. 1. lib. 1. a. 1. c. 14. Vaquez ad locum citatum primæ partis disput. 63. c. 2. Magister meus Magister Didacus Daza tract. manuscripto de scientia Dei d. 5. docent: Deum, dum infinitas partes durationis Angelicæ, & animalicæ à parte post successuras, atque infinitas, cum Angelis, tum animæ rationalis actus, per fluxuram æternitatem cognoscit, cognoscere ex parte obiecti infinitum in actu, & quidem sententia hæc nouis expensis, apud Cæteranum, & eius Asselas Thomistas ad

sui stabilitatem non egeret; si vera ipsorum sententia foret, de futurorum reali præsentia, & coexistentia ab æternitate Dei æternitate, quam fuisse confutabimus d. 6. q. 2. etenim in ea infinita illa successuarum per æternitatem durationum, & operationum multitudo ab æterno & in æternum tota coexistit, existeret actu simul, quin ita existeret actu simul, coexistereque debere ut à Deo cognoscatur, Thomistarum præfata sententia fert: quare non solum cognosci à Deo totam illam multitudinem infinitam in actu, sed neque aliter à Deo cognosci posse consequens, sententiæ illius conclusio est; sed, quod, nescio; an illius sententiæ Patroni satis attenderint: & quod eius sententiæ euerfione facile corrumpat. Ea propter noster Vaquez præfentem suam conclusionem rationi alteri imposuit, quam eius discipulus ingeniosissimus Daza luculenter, subtiliterque explanauit, ut in objectionibus mox patebit.

3. Durandus in 1. d. 39. q. 2. Almain. in 3. d. 14. q. 1. post primam conclusionem, Soarius noster tom. 1. in 3. p. d. 26. sect. 10. negant, dum cognoscit infinita illa per æternitatem successura cognoscere ex parte obiecti infinitum in actu, siue categorematicè infinitum, sed solum syncategorematicè, seu in potentia infinitum. Huic ego sententiæ in questione pure de nomine lubens subscribo; quia realius, propriiusque loquitur: etenim, si doctorum omnium, præcipue Philosophorum, communi sensui standum sit, nemo est, qui infinitum Categorematicum, siue in actu ex rebus infinitis, nunquam tamen simul coexistentibus, sed solum ex actu consistentibus aliquot, & aliis successuris componi affirmat: ac penes hoc tantum infinitum Syncategorematicum siue in potentia ab infinito categorematico, siue in actu Philosophi, & Theologi omnes discriminant: quod hoc totius multitudinis actualem simultaneam existentiam, seu coexistentiam dicat; scilicet illud inde autem facili, & legitimo hoc discursu probatur conclusio. Obiecta diuinæ cognitionis, prout in actu primo ipsi proponuntur atque ex parte obiecti præcedunt, necdumque habent denominationem obiecti, & cogniti ab ipsa cognitione posterius obtingentem ipsis, sunt obiecta, ut re ipsa sunt: atqui multitudo illa rerum successuarum infinita in actu re ipsa non est: ergo multitudo earum, prout obiecta in actu primo diuinæ cognitioni, necdumque ab ea denominata, infinita in actu, & categorematicè in actu primo non est: quare nec Deus cum illam totam cognoscit infinitum in actu cognoscit.

4. Maior est certa: minor æque firma ex statuto illo Philosophico, & Theologico principio, ac definitione infiniti in actu, & tanquam indubitata admissa à nostro Vaquez cit. c. 2. nu. 4. & (ut opus esset) nullo negotio demonstrabilis, etenim multitudo durationum animi, aut Angelis, & operationum eius successiue plurium, & plurium infinite per æternitatem à parte post futurarum nusquam, nunquamque erit actu, & simul in se, & re ipsa existens infinita: ergo nusquam est infinita in actu, & categorematicè. Confirmatur tam minor eadem, quam commune illud principium, cui innititur: quia compositum in actu, nequit esse in actu quin omnes eius partes in actu sint, atque existant; alioqui compositum in actu non erit, atque insuper non existente anima, sed sola materia, erit homo in actu, ex eo, quod postea anima, eiusque ad materiam vnio sit extingua: unde nunc verum erit dicere: *Antichristus actu existit, siue est in actu*, quod est non solum absonum, sed præ falsitatis notorietate ridiculum; sed partes illæ omnes durationis Angelis, vel animi rationalis, eorumque actus per æternitatem successiue futuri, ex quibus infinita multitudo componitur nunquam simul in actu existunt, existentur: nec Deo simul in actu

extingua obicitur, representantur: ergo eiusmodi multitudo infinita ex eis omnibus composita non est infinitum in actu, siue categorematicum: nec tale esse à Deo cognoscitur.

RTEGA
ma pari
Vla

CERTAMEN II.

Objectionibus occurritur.

1. **O**ppones primo inter eam multitudinem partium durationis Angeli, vel animi rationalis, & operationum ab eis per aeternitatem à parte post eliciendarum, etiam prout ex parte actus primi diuinæ menti simul proponitur cognoscenda, atque eius præcedit cognitionem, nec dumque ab ipsa denominatur simul cognita, non est assignare ultimam: ergo ea multitudo est actu siue in actu infinita. Hæc ratio doctissimos, & ingeniosissimos alios nostros Vasquez, & Dazam decipit; nec autem alios posthac decipiat, distinguo antecedens. Non est assignare ultimam partium simul pro aliqua duratione actu existentium siue aliquando, simul exiturarum in ea multitudine, nego antecedens; non simul, sed *serfim*, & *succes- sive exiturarum* concedo antecedens; & nego consequentiam ob rationem datam.

2. Instabis ea multitudo, vt ex parte actus primi ad cognitionem diuinam proposita non est infinita in actu per nos: ergo est finita in actu: quod est euidenter falsum: cum in ea multitudine, nec sit assignare ultimam partem durationis, neque ultimam operationem assignare: consequentia est legitima: siquidem finitum infinito contradicit: quare, si infinitate in quouis genere negata in eodem genere, de eodemque subiecto finitatem neges, deducis facile, imo sponte ad impossibile ibis. Nihilominus neganda est consequentia: quia vtraque propositio est de subiecto non supponente: quia tota multitudo nunquam, nusquamque simul existit, aut existet, quare simul existens, vt supponitur ad finitudinem, vel infinitudinem actu de ea prædicandam, neque est finita, neque infinita: quemadmodum, neque de ente rationis optime negatur siue contradictione distingui realiter, atque identificari realiter cum ente aliquo reali, est distinctio, & identitas contradictionem inuoluant: quia illud *realiter* supponit vtrumque extremum, de quo identitas, vel distinctio prædicatur, siue inter quæ alterutram esse asseritur reale esse: alterum autem nempe ens rationis, reale esse repugnat; quare vtraque propositione in terminis implicatur.

3. Ita etiam in casu nostro: cum tota multitudo simul aliquando esse non possit, ac proinde totam illam in actu, & simul esse repugnet ex vna parte: atque ex alia esse totam illam collectivè sumptam finitam asseratur: negatur recte totam illam infinitam esse in actu, quia in actu non est, neque erit simul, imo totam in actu, & simul esse, & existeret, vel essentia sua in durationis partibus, vel ex suppositione, vt minimum, in Angeli, vel animi operationibus successiue habendis, neque omnibus (vt supponimus) simul. Recteque negatur etiam finita tota in actu, & simul ob secundam rationem: quia in ea propositione supponitur totam illam multitudinem de qua finitas prædicatur esse, vel fore in actu, & simul saltem aliquando supponitur, quod est impossibile, vt diximus, & in terminis implicatorium. Quocirca, si non de tota multitudine, sed de aliqua eius parte, quæ simul in actu aliquando erit inferetur esse finitam in actu, bene inferretur, negari que minime posset, quia suppositum subsistit, nullaque est in eius propositionis terminis implicancia, & contradictio.

4. Instabis secundo: tota illa multitudo infinita rerum per aeternitatem futurarum, prout diuinam antecedit, quasi pro natura priori, cognitionem, nec dumque cognoscitur non habet terminum; ergo est infinita, & simul ex parte obiecti pro illo etiam priori sumpta, & considerata, ergo est infinita in actu pro illo priori, & in sensu præsentis questionis, quam de infinito earum rerum simul, prout diuinam præcedunt cognitionem esse diximus. Responderetur simultaneum infinitarum rerum obiectinam solum, etiam prout in actu primo ad sui cognitionem præcedunt satis non esse, vt infinitum consistere, & cognosci dici queat. Alioquin enim non solum rerum, quæ aliquando, etsi temporis successu, erunt in actu, infinitum præterit, cognoscerebaturque à Deo: verum, & pure possi-

bilium, (quod exoticum, & paradoxum profus est) quandoquidem infinita, & ultra numerum omnem possibilia sunt, & omnia similitate solummodo obiectiua, in actu etiam primo, diuinam præcedunt cognitionem. Simultas ergo rerum omnium, quæ infinitum in actu constituit, debetque sui cognitionem præcedere, vt infinitum in actu cognoscatur, est simultas essendi, & coexistendi in actu eorum omnium, ex quibus multitudo illa infinita coagmentatur: quæ non solum infinitæ multitudinis possibile, sed, & successiue futurorum deficit: quare neganda est consequentia postrema, cuius inde probatio euangelicit.

5. Dices demum: de ratione numeri in actu non est simultas existentie, seu existendi in actu omnium vnitarum, quibus ille constat: ergo nec de ratione multitudinis infinitæ in actu erit simultas existendi, seu essendi in actu omnium vnitarum, quibus illa constat. Pater consequutio: quia eadem est ratio de vnitatibus componentibus numerum in actu talem, vel infinitum in actu quoad necessitatem existendi simul, vel negationem eius, vt alterutrum in actu componat. Antecedens probatur: quia dicimus tot dies esse præteritos, nec tamen vnitates, quibus is numerus in actu componitur, simul in actu extiterunt: imo, nec simul existere poterunt. Respondetur negando antecedens. Ad cuius probationem facior primam eius partem, scilicet dicere nos ac numerare tot dies præteritos, qui nec fuerunt, nec poterant esse simul in actu; nego tamen illa verba secundæ partis antecedentis, quibus is numerus in actu componitur. Is enim numerus ex præteritis diebus nunquam simul existentibus compositus numerus in actu non est, sed in potentia solum, vt ex hæcenus dictis constat. Verum quidem est nostrum numerum actiuum, siue numerationem nostram in actu esse; sed sic acceptus numerus nostra cognitio sola est, quæ actu existit, cum elapsos dies numeramus; alit is noster actiuus numerus, seu connumeratio dierum fluxorum præteritis diebus non constat, aut componitur: sicut nec vlla Dei aut nostri cognitio obiectis, quæ præteritæ.



DISPUTATIO VI.

De mediis materialibus scientiæ diuinæ, circa omnia & singula eius obiecta hæcenus statuta.

1. **H**inc iam pollicitationis nostræ liberabimus fidem distinctius, vt non scilicet, aliis de mediis diuinæ scientiæ, vt ad enumerata obiecta se porrigat, disputantes. Et primo quidem loco de mediis materialibus disputandum est. Media autem materialia voco, quæ obiectum ponunt, præsentantque potentiæ, aut scientiæ Dei, quantum satis est, vt terminet cognitionem diuinam, hæcque ad illud extendatur: ac proinde huic materiam cognoscendam subministrant, quia illam in debito statu, & præfentialitate collocant, vt videantur. Non fecus ac baiuli, qui statum videndam sub conspectum nostrum afferunt, & præsentant, materialia media visionis nostræ de statua illa dici possunt: quia visioni illi materiam ministrant, & conspecturis apponunt; licet ipsi secundum se ad statum visionem eam nec determinent, neque aliter, quam materiæ debita appositione concurrant: ex hac vero tituli explicatione constat primo: nihil de medio materiali scientiæ Dei circa seipsum disputari posse: cum nihil sit, quod Deum vel in se, vel in sua præfentialitate pro statu vilo, etiam si eius possibilitatem ab excita existentia ipsius abstrahis, ac distingui metaphysice posse admittamus) cum, & in suo esse, duratione, immensitate, & suis omnibus ens à se sit, atque à nullo, adhuc tanquam à connexionis termino, dependens.

2. Constat secundo: neque in scientia diuina de possibilitatibus creatis disputationi præfentem locum esse: etsi enim à Deo, cuiusque omnipotentia, tanquam à termino connexionis